

currenti omittitur illa pars, quae secundae hebdomadae assignata est.

Si vero prima dominica incidit in dies 6 vel 7 novembris, mensis habet quidem quatuor dominicas, ultima tamen est prima Adventus, ita ut pro Scriptura occurrenti maneant tres hebdomadae tantum. Hoc in casu, de Scriptura occurrenti omittitur illa pars quae primae et secundae hebdomadae assignata est.

V

Variationes in Proprio sanctorum

40. In festis III classis, tam universalibus quam particularibus, quae ad Matutinum habent aut antiphonas proprias et psalmos de Communi, aut antiphonas proprias et psalmos specialiter assignatos, novem antiphonae et novem psalmi dicuntur continuatim cum unico versu tantum, qui invenitur post ultimam antiphonam.

41. In iisdem festis, de quibus numero praecedenti, duae lectiones de Scriptura sumuntur de Communi, olim I Nocturno assignatae, retentis primo et tertio e responsoriis propriis, quae in Breviario his festis assignata erant.

42. In festis III classis, tam universalibus quam particularibus, quae ad Matutinum habent tantum responsoria propria, dicuntur antiphonae et psalmi de feria currenti, cum duabus lectionibus de Scriptura occurrenti et primo ac tertio e responsoriis propriis, et tertia lectione propria, ut in aliis Officiis ordinariis.

43. In Conversione S. Pauli (25 ianuarii), ad Matutinum dicuntur tres lectiones de Actibus Apostolorum, quae olim primo Nocturno erant assignatae, cum primo et secundo responsorio ibidem notatis.

44. In festo S. Martinae (30 ianuarii), ad Matutinum dicitur hymnus *Martinae celebri* una cum altera parte *Non illam crucians*; ad Laudes autem et ad Vesperas sumitur hymnus *Tu natale solum*.

45. In festo Purificationis B. Mariae Virg. (2 februarii):

a) in Breviario, ponatur, in initio, haec rubrica: Festum Purificationis B. Mariae Virg. habetur tamquam festum Domini.

b) in Missali, ad benedictionem candelarum, omititur antiphona *Exsurge* cum versu psalmi et *Gloria Patri*, necnon *Flectamus genua*; et ante orationem sacerdos dicit tantum *Dominus vobiscum* et *Oremus*.

46. In festis S. Venantii (18 maii), S. Mariae Magdalenae Poenitentis (22 iulii) et S. Ioannis Cantii (20 octobris), ad Vesperas, dicitur hymnus qui nunc in Breviario assignatur I Vesperis.

47. Die 17 iunii, pro festo S. Gregorii Barbadici, ponantur hae partes propriae:

Oratio

Deus, qui beátum Gregórium Confessórem tuum atque Pontíficem pastoráli sollicitúdine, et paúperum miseratione claréscere voluísti: concéde propítius; ut, cuius mérita celebrámus, caritátis imitémur exéempla. Per Dóminum.

Lectio III

Gregórius Barbadícus, Venétiis perantíqua familia ortus, utriúsque iuris láuream in Archigymnásio Patavíno magna cum laude est adéptus. Undevigésimum annum agens, cum ad Monasteriensem pacis Convéntum proféctus esset, legáto pontificio Fábio Chísio adhortánte, ecclesiásticæ militiæ nomen dare constituit. Sacris initiátus, ab eódem Chísio, Alexándri séptimi nómine ad Pontificátum assúpto, Bergomátium epíscopus primum, mox, Cardinálium Collégio cooptátus, ad sedem Patavínam elígitur. In episcopáli múnere obeúndo, sancto Cárolo Borromæo sibi exémplo propósito, ad extrémum usque spíritum adlaborávit ut, Sacrosánctæ Tridentínæ Synodi mónitis et decretis inníxus, evélleret vítia, virtútes indúceret. In utrâque diœcési Seminárium amplificávit, Patavínum præsertim bibliothéca auxit ac typographía, qua libri quoque ederéntur inter pópulos próximi Oriéntis vulgándi. Catechéticam instructiônem eníxe fovit, et singulos diœcésis pagos, docéndo et hortándo, álacer peragrávit. Caritátis opéribus ac vitæ sanctitate refúlsit, in egénos et páuperes ádeo liberális ut domesticam quoque suppellécilem, vestes ac lectum in eórum auxiliū erogáverit. Dénique, post brevem lethálem morbum, plácide obdormívit in Dómino décimo quarto Kaléndas